

**De rabie canina : dissertatio inauguralis medica ... / auctor Joannes Francisc. Anton. Gerke.**

**Contributors**

Gerke, Johannes Franciscus Anton.  
Friedrich-Wilhelms-Universität Berlin.  
Royal College of Surgeons of England

**Publication/Creation**

Berolini : Typ. Nietackianis, 1843.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/gutwhc3b>

**Provider**

Royal College of Surgeons

**License and attribution**

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

**RABIE CANINA.**

**DISSERTATIO**

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE  
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE  
FRIDERICA GUILIELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XII. M. AUGUST. A. MDCCCXLIII.

H. L. Q. S.

PUBLICICE DEFENDET

AUCTOR

**JOANNES FRANCISC. ANTON. GERKE**

GUESTPHALUS.

**OPPONENTIBUS:**

F. KAMPFWIRTH, med. et chir. Dr.

J. HEITKOENIG, med. et chir. Dr.

TH. DHAM, med. et chir. Cand.

*Cahya*

**BEROLINI,**

TYPIS NIETACKIANIS.



Digitized by the Internet Archive  
in 2016



## 1. INTRODUCTION.

**M**iserrimum genus morbi, quo qui afflicti sunt, vita in angustiis est, certe est rabies canina; quod malum jam medicorum antiquissimi temporis monumenta memoriae prodiderunt, siquidem Democritus, Hippocratis aequalis, mentionem faciens rabiei caninae, eam interpretatus est neurophlogosin. Solemnia quoque, quae Argis canicularibus diebus celebrabantur et Cynophontis nominabantur, in quibusque peragendis, quique offensi sunt, canes trucidabantur, ad rabiem caninam simulque ejus originem ex nimio ardore spectasse, atque ita morbum quam veterrimum videntur significare. A. Corn. Celsus et morbum descripsit et remedia, quibus curaretur, plura retulit. Ex eo inde tempore multi auctores hanc materiam tractarunt, non autem eo felici eventu, quo alii morbi aequae pestiferi, at variolae, scarlatina, morbus venereus et alii, minus periculosi redditi sunt. Cujus rei causa in eo videtur esse, quod symptomatologia hu-



jus morbi non solum manca et exigua, verum etiam multis et magnis erroribus, qui ad auctorem ab auctore transierunt, inquinata et depravata fuit. Recentiores demum auctores ante hos circiter quinquaginta annos, **Meynel, Waldinger, Delabere Blaine** alique experimentis et observationibus multa, quae de rabie canina vulgo ferebantur, falsa esse demonstrarunt et nova eaque certiora protulerunt, quae a medicis adhuc viventibus, quorum princeps **Hartwig** ponendus est, ad majorem etiam perfectionem perducta sunt. Praecipua causa melioris, quae nunc est, scientiae rabiei caninae videtur in eo consistere, quod distingui coeptum est inter symptomata rabiei, quae canes eorumque socios genericos, et quae homines aliaque animalia opprimit. Quam obiter et perperam veteres observarint, inde elucet, quod timorem aquae princeps et essentielle esse symptoma morbi arbitrati, tanti id existimarunt, ut ob id solum totum morbum hydrophobiam appellarent; quod autem omnino falsum est, quum timor aquae in canibus rabidis nunquam, in hominibus non semper et praeterea in aliis etiam morbis observetur. Id quod alios induxit, ut discernere inter rabiem, quae homines et quae canes aggreditur, atque illam hydrophobiam, hanc rabiem caninam dicerent. Quae distinctio, quamvis meliorem symptomatum notitiam suppeditet, non tamen probanda videtur, utpote qua unus idemque morbus, varium quidem se praebens, in duos resol-



vatur. Quamquam igitur nomen »rabies canina« non omnibus numeris respondet, id tamen retinere convenit.

## 2. DEFINITIO MORBI.

Est igitur rabies canina morbus, qui maxime in cane familiari, ceteroquin etiam in aliis canibus: lupo, vulpe et aureo, ignota ratione sponte exoritur et contagium gignit, quod in sanguinis circulationem vel hominis vel animalis alicujus delatum fere eundem, sed ex utriusque natura variabilem morbum procreat.

## 3. QUID DE ORIGINE DISPUTETUR.

Ex definitione apparet, duas esse rabiem gignendi rationes, alteram spontaneam, alteram contagione illatam. Quarum prioris causae tanta caligine obumbratae sunt, ut summo quamvis studio maximaque in perscrutando cura adhibita, ad nullum etiamnunc certum finem deventum sit, quum experientia exempla ediderit, canes cujuscunque varietatis, aetatis, sexus, quovis anni tempore, sub quavis tractandi et vivendi ratione morbo esse tentatos. Verum tamen hoc videtur extra dubitationem positum esse, terrestres quasdam et atmosphaericas, individuales et occasionales causas aliquid conferre ad morbi originem. Id quidem constat, in regionibus ad maris mediterranei partem orientalem adjacentibus (Syria, Aegypto,



al.) et in Kamtschatka, quamvis omnibus calamitatibus expositi sint, nunquam tamen canes rabie corripitur. Dispositio individualis in spontanea rabiei origine maximi momenti est, imponiturque iis praecipue canibus, qui feбри pituitosa maligna et iis, qui eam sequi solent, morbis nervosis magnopere laboraverunt. Inter causas occasionales prae ceteris omnibus referenda est nimia, sed parum expleta coëundi cupiditas; cujus rei argumenta Fischer, Greve, Hertwig et alii cognoverunt. Innumerabiles praeterea causae, quae aut excitare rabiem dicuntur, ut summus et frigoris et aestus gradus vel subitanea eorum vicissitudo, nimia excrementorum rigiditas, deficiens transpiratio, irae studium, inedia; aut contra eam tueri, ut sexus femineus, castratio, ungues lupini, lytta exstirpata, experientia improbaliles redditae sunt.

Altera rabiem gignendi ratio contagio fit, morsuque animalis rabidi, saepissime canis infertur. Quo in genere contagium in corpore, quod penetravit, fere reproducitur suique simile aliquid gignit. Num rabies provocari possit morsu animalis non rabie affecti, sed solummodo vehementissime exacerbati, inter auctores controversia est; alii affirmant exemplisque probant, alii negant contendentes, ut ex aliis levibus laesionibus, sic quoque ex morsu hominis vel animalis exacerbati, ceteroquin sani oriri posse affectiones nervosas, inter quarum symptomata saepe



hydrophobia inveniatur, sed hanc hydrophobiam longe aliam esse neque commutandam cum hydrophobia contagiosa sive canina rabie. Comparatis autem observationibus utramque rem spectantibus inducimur, ut assentiamur sententiae eorum, qui ex irati animalis vel hominis morsu utique nasci posse rabiem caninam contendunt. Sunt autem contagiosi et pestiferi reperti morsus felis cati, galli gallinacei, anatis boschadis, denique hominis.

#### 4. DE CONTAGII NATURA QUID NOTUM SIT.

Jam vero, priusquam effectus contagii in corpore laeso exponam, de contagio ipso quod notum est praemittam. Primum igitur contagium non substantia propria, sed qualitas aliarum, fixum itaque est et inhaeret salivae sputisque animalis rabidi, neque nisi contactu divulgatur. Sanguinem quoque contagiosum esse Hertwigii experimentis demonstratum est. Num vesiculae, quas cadavera animalium rabie stratorum secantes in liene et tunica mucosa faucium, laryngis et ventriculi invenerunt, virus contagiosum contineant, parum liquet, quum experimenta de hac re nondum sint instituta. In vesiculis autem Marochettianis, de quibus infra sermo erit, inesse videtur. Caro et lac animalium rabidorum neutiquam sunt contagiosa. Ut virus venereum et alia, sic quoque rabiei virus in corpore, cui inseritur, opportunitatem quandam desiderat, sine



qua non potest vigere: id quod et experientia et experimenta satis et super comprobant. Ad recipiendum et reproducendum contagium transitu ejus in vasa lymphatica et sanguifera opus est, idque ab externa corporis superficie per vulnera; nihil vero nocet per os in ventriculum et tubum intestinalem delatum, ea tamen conditione, ut tunica mucosa harum partium sit integra. Qua in re contagium caninum similitudinem praebet cum viro viperino, quod idem nisi in vulneribus non nocet. Via, qua virus communicari solet, est morsus, quamquam et indirecta via, instrumentis scilicet, quibus inhaeret (vaccinando), propagari potest. Frustra autem morsus infligitur, cum sanguinis fluxus tantus est, ut virus dilutum foras mittat, aut cum vestimentorum moles viri transitum in vulnus arcet. Vis contagiosa per totum morbi decursum adest nec prius quam viginti quatuor horis post mortem proximis, ut Hertwig patefecit, exstinguitur; ex corpore vivo desumptum contagium per longius tempus reservari potest, ut exemplum testatur hominis, qui gladio, quo ante aliquod tempus rabidum canem trucidaverat, se vulneravit et paulo post rabiei caninae succubuit. Contagium ne in canibus quidem, nedum in animalibus variarum familiarum eadem symptomata praebeat; quae res a variis temperamentis, individuali dispositione aliisque parum cognitis causis dependere videtur. De contagii chemica natura a variis aucto-



ribus multae variaequae et magna ex parte mirae opiniones propositae sunt, quas referre est longum. Contagium caninum continuata propagatione et multiplicatione vim suam contagiosam paulatim amittere neque amplius rabiem gignere posse, Hertwigii experimentis non est comprobatum. Id autem constare videtur, spontaneae rabiei contagium efficacissimum esse, minus efficax, quamquam non omnino invalidum, continuata communicatione et desumptum de aliis animalibus, quam canibus; siquidem experimenta docuerunt, contagium herbivororum animalium invalidissimum esse, quod fortasse ex eorum minori irritabilitate et animo ad irascendum minus prompto videtur esse derivandum.

##### 5. QUID EFFICIAT COMMUNICATUM CONTAGIUM IN CORPORE AFFECTO.

His praemissis eo pervenimus, ut demonstremus, quales effectus proferat contagium, cum ab uno animali alteri morsu communicatum est. Ut quodvis contagium, postquam disseminatum est, sic quoque caninum tempus aliquod quiescere videtur; re autem vera hoc non est tempus quietis, sed incubationis et evolutionis; nam priusquam se ipsum manifestet, necesse est totum corpus penetraverit. Tempus autem eruptionis rabiei post contagionem modo breve, modo est longum et a variis causis, quae majori ex parte rabiei spontaneae faventibus similes



sunt, videtur repetendum esse. Brevissimum spatium tertius dies est, longissimum parum constat; interdum intra septimum et vigesimum quartum diem, plerumque intra vigesimum et quadragessim, saepe post plures menses. Longiora spatia, quae a nonnullis auctoribus referuntur, non rectis talis stare videntur. Num contagium idem individuum bis invadere possit, jure dubitatur.

Signa, quae eruptionem rabiei comitantur, minime sibi constantia sunt causisque, quas rabiei originem adjuvare supra diximus, valde variantur. Quam ob rem certam stabilemque symptomatologiam proponere non continget, debetque satis esse symptomata, quae huc usque maxime observata sunt, referre.

Saepissime canes rabie tentantur, rarius cetera animalia domestica et homo; rabies vero ferorum animalium paene omnino ignota est, qua de causa eam hic omittemus.

#### a) Rabies canum.

A canibus igitur incipiamus, Hertwigium, qui praecipua cura hanc materiam amplexus est, secuti. Antesignani praeire non solent neque rabiem spontaneam nec contagio illatam. Nunquam in hac cicatrices mutantur, sed rabies improvise et subito erumpit. Prout nervorum systema magis excitatum aut depressum est, rabies ingenium erethicum aut



torpidum praebet, propter quod duas verietates statuere atque rabiem furiosam et quietam distinguere licet.

Illa morbi varietate laborantes aut alacriores facilioresque ad irascendum aut segniores et moestiores evadunt; inquiete et anxietate quadam agitantur, modo huc modo illuc, non semper, ut vulgo putatur, recta via cursantes, modo domicilium relinquentes et longe lateque vagantes, praecipue cum inhumaniter tractati sunt, postea plerumque redeunt. Sed haec omnia fiunt ad modum paroxysmi. Dominum agnoscunt per totum morbi decursum solitisque muneribus, quamquam saepe parum attenti, funguntur. Frigiditas res, ut ferrum et lapides, lingere amant. Aquam lambunt libenter et saepe, nisi glutiendi difficultate impediti non vitant, nunquam autem timent, immo natant per eam. Anorexia (quod sane non mirum in hoc gravissimo morbo) semper et, quod saepissime fieri consuevit, malacia laborant, ita ut lignum, stramentum, carbones, corium, ipsa adeo propriae alvi excreta vorent. Plurimis fauces sicciiores quam humidiores sunt, spuma igitur circa oris aperturam deest plerumque. Omnibus alvus obstruitur, certe per aliquod tempus; multi vomunt. Signum pathognomonicum est peculiaris quaedam mutatio vocis, quae rauca fit et medium sonat latratum inter et ululatum, sic ut latratus in ululatum terminetur, ex quo unico signo periti morbum di-



gnoscerere possunt. Vocem edentes summum os attollunt isto fere modo, quo ad musicam ululantes. Morsicant modo serius modo ocius, modo magis modo minus, nullo rerum discrimine habito; primum quidem et potissimum feles, tum socios, dein alia animalia, denique hominem, postremo ipsum dominum, lente et clam sine murmure arreptentes, subito aggredientes, hominum pedes, sociorum os et genitalia plerumque petentes. Quod studium morsicandi multi in vana muscarum captatione exercitant. Habitus externus praeter oculos et frontem nihil fere mutatur; haec saepe contrahitur in plicas longitudinales, illi sero paulatim rubescunt et subinde clauduntur; quapropter facies speciem prae se fert morosam ac somniculosam. Morbo longius progresso oculi turbidi fiunt et quasi pulverulenti. Aegri, cum viribus neque deficiuntur neque exagitantur, sueto more caudam gerunt, neque inflectunt sub alvum, sed solum demittunt, cum musculorum vis debilis officio fungi desinit. Tum omnium quoque musculorum actiones segnes fiunt, incessus labascit, coxae claudicant. Multi aegroti tument per caput, alii pilis hirsutis horrent, omnes subita et magna macie perimuntur.

Altera rabiei varietas, quam quietam solent appellare, multa cum antecedente communia habet, distinguitur autem ab ea his rebus. Statim ab initio morbi maxillae inferioris muscoli manducatorii resolvuntur,



quo fit, ut pateat os, ut aegroti ne liquidas quidem substantias devorare possint, ut saliva ob impeditam glutitionem continuo foras manet et in spumam colligatur, ut lingua per dentes promineat aut omnino ex ore prolabatur, ut os difficilius claudatur et morsus infligatur; qua autem re aegri non omnino praepediuntur, quominus mordeant et sint periculosi. Praeter haec sunt minus alacres et agiles, at contra taciti, quieti, in tristitiam inclinantes.

Utraque varietate aegrotantes certae morti debentur, quae intra sex vel octo dies ab eruptione morbi, postquam vires exhaustae sunt, advenit; prius accedens aegros subito rapit, quasi apoplexia oppressos.

#### b) Rabies ovium.

Oves rabidae distendunt os, praecipitantur in res objectas, arietem in venerem ruentem imitantur: insiliunt in socias balantque more arietis fervidi; edendi cupiditate carent, malacia saepe laborant, lanam fimumque manducantes; neque aquam horrent nec morsus infligunt; postremo viribus defectae paralysi et apoplexia tolluntur.

#### c) Rabies equi.

De equo rabido Huber, zoiatrus Bernensis, haec refert: post brevem morbum, quem interpretari non potuisset, equum se gessisse ut in phrenitide; manifesto aquae timore cruciatum fuisse, calcitrasse,



momordisse, et praesepe quidem tam vehementer, ut plures dentes incisivi deciderint et inferior maxilla pluribus locis fracta sit; postea pluries esse collapsum et sanguinem multum per os et nares amisisse.

#### d) Rabies boum.

Boves rabidi haecce symptomata praebere dicuntur: primum inquietem insignem, continuam trepidationem, intermissis aliquot diebus completam anorexiam, mugitum obtusum, raucum, productum, miserabilem per diem noctemque, cornua frigida, oculos rubentes et rigentes, spumam et cum sanguine mixtam salivam circum os, impetus convulsivos, subitam humi praecipitationem, magnum nisum faeces evacuandi causa incurvato tergo caudaque sublata, faeces aut regulares aut valde liquidas et sine borborymis exeuntes, horrendam maciem, virium prostrationem, paralysin partium posteriorum, continuam et quietam cubationem per horas viginti quatuor proximas morti, quae septimo vel octavo die insequentibus convulsionibus vitam finit.

#### e) Rabies hominum.

Rabies canina, cum homines aggreditur, nullis utique certis symptomatis stabilitur neque eam dignoscere continget, nisi ad complexum symptomatum subinde observatorum contagii communicationem accessisse certo scimus. Prodromi nisi in hominibus



non reperiuntur, suntque vel locales vel universales; quorum illi amplectuntur ea, quae vel in vulnere vel in cicatrice vel in regione circa ea vel in tota parte infestata et ultra eam mutantur. Vulnus a sanatione prohibetur, fit lividum et fungosum, tenuem saniem secernens; dolet, nec ipsum quidem solum, sed per adjacentes etiam regiones dolorem extendit, cingiturque exiguo toro. Vulnere jam sanato cicatrix prurit doletque et ipsa, ac dolorem per nervos partis laesae ad cervicem usque propagat; nonnunquam faucium et ventriculi quendam ardorem ciet. Cum contagium vigere coepit, in cicatricis margine plures vesiculae, quae seminis sinapis vel pisi parvi magnitudinem aequant et humorem rubentem vel lividum includunt, germinare dicuntur (Urban). Tum vulnus sanatum et denuo inflammatum et livide tumens erumpit auctisque doloribus in ulcus tenuem foetidamque saniem secernens matatur. Nonnunquam cicatrix parum mutatur: aut livet aut dolet solummodo. Tota pars laesa saepissime nullas mutationes subit, interdum sentit rigorem et stuporem vel leves convulsiones. Cum his symptomatis localibus vel statim post ea universalia oriri solent, quae magnam nervorum affectionem significare videntur: languor et debilitas membrorum, caligo oculorum, timor lucis, anorexia per omnes gradus a taedio ad vomitum usque, cardialgia, difficilis et anxiosa respiratio, ardor vagus horripilationes excipiens, somnus inquietus.



tus et somniis terribilibus (praesertim de canibus) interruptus, tristitia, amor solitudinis, gemitus continuus aut subinde oriens, impatientia aëris perflantis frigorisque, oculi languidi, paulisper rubentes, facies pallida, vox tremula, urina pallida, pulsus arteriarum inaequalis et parvus, praeterea in viro saepissime erectiones penis, vehemens coëundi cupiditas, testiculorum attractio convulsiva, dysuria.

Hactenus stadium prodromorum. Postquam haec symptomata duos vel duodecim dies duraverunt, nonnunquam etiam nullo eorum observato, apud aegros plerosque apparere consuerunt sub lingua vesiculae, quas Marochetti primus descripsit, quaeque ab ipso nomen ducunt, et inde a tertio ad tertium decimum, raro ad tricesimum quartum diem ex morsu per metastasin contagium a vulnere accipere traduntur. Sunt hae vesiculae juxta frenulum linguae in regione ostiorum canalium secretoriorum utriusque glandulae sublingualis, tres vel novem numero, imparis magnitudinis (lentis fere vel canabis semen aequantes), aliae hyalinae et fluctuantes (quae juniores), aliae opacae, quasi sanguine dissoluto repletae et nodosae (quae esse vetustiores videntur), quatuor et viginti vel quadraginta octo horis, postquam apparuere, plerumque evanescentes, dum liquor in eis contentus in corpus resorbetur. In quibus nisi contagium extinguatur, aut nisi jam in vulnere extinctum sit (in quo quidem casu vesicu-



lae apparere non possunt), morbus miserrimus instat, a quo nullum remedium expedire posse videtur. Res quum ita se habeant, actutum haec symptomata sequuntur, dum intenduntur ea, quae jam antea fuerunt. Plerique aegroti abhorrent ab aqua, quamquam ardor internus et vehemens sitis et fauces siccae eam desiderant; is horror saepe subito occupat aegrotos, aquam vel alium liquorem potaturos, propter repentinum faucium spasmum eosque cogit, ut sumtum liquorem vomant. Cum nihilo tamen minus potare conantur, doloribus acerrimis et immensa anxietate cruciantur, ita ut nulla re ad bibendum moveri possint, sed taedio et spasmo et metu suffocationis ab omni bibendi conamine deterreantur. Qui horror liquorum nonnunquam eo usque procedit, ut aegri ne salivam quidem glutire, res liquidas videre, earum, dum agitantur, sonitum, adeo ne nomen quidem audire, ipsas eas res, quae eminus liquoris aliqujus speciem imitantur, ut vitrum vel laevigatas et splendentes substantias, adspicere nisi summa anxietate et vehementissimis convulsionibus percussi possint. Tetano et morte, si aegris aquam vi ingerere velles, vitam extemplo finiri posse Hoepfner narrat. Is autem horror aquae non semper ad tantum gradum evector est, et aegri per intermissiones remissionesve spasmodum et convulsionum, quamvis angore ac terrore aliquo percussi, res liquidas glutire possunt. Nonnunquam, quod sane mirandum,



quamquam non aquam, alios tamen liquores, vinum, cerevisiam, coffeam, sine ulla faucium difficultate et horrore sumunt, vel etiam aquam calefactam vel tubulo in ventriculum demissam. Atqui interdum horror aquae omnino utique deest. Cibi solidi sine difficultate glutiri solent, sed nonnumquam evomuntur; saepe in oesophago dolores violentos excitant. Jam igitur omnia symptomata valde intenduntur, praecipue nervorum systema magis perturbatur; siquidem spasmi et convulsiones et anxietas certis periodis redeunt et longius tempus obtinent. Aegroti fiunt inquietiores, perturbata mente furunt, circumferunt manus, objurgant, tumultuantur, spuunt, mordere et aufugere conantur, phantasmatis terribilibus terrentur, continuis tormentis cruciantur atque delirant. Inter quas vexationes interdum mens redit, sortem inevitabilem cognoscunt, lamentantur, saepe tamen summam animi quietem ostendunt et mortem, ut tot et tantis malis se liberet, valde expectant. Sed hae breves intermissiones mox a paroxysmis gravius diutiusque aegros vexantibus excipiuntur. Oculi rubent, atrociter volvuntur, terrorem et iram et desperationem produnt. Spasmi clonici et tonici vehementissimi fiunt et fere totum corpus aggrediuntur. Respiratio maxime impedita et anxiosa est; viri nonnumquam perpetuo tetano penis, mulieres summa libidine tentantur. Omnia organa corporis valde debilitantur; idcirco aegri post paroxysmum maxime



sunt fatigati et plurimis membris resoluti. Arteriarum pulsus, qui inter paroxysmum pleni durique fuerunt, admodum fiunt parvi et frequentes. Facies pallet et collabitur. Atque unus alterve insequens paroxysmus aegrum miserabilem strangulat.

## 6. QUID DEMONSTRET CADAVERUM SECTIO.

Ex cadaverum sectorum inspectione nullum certum iudicium de morbi natura ferri potest, siquidem omnes sectiones inter se discrepauerunt neque ullam constantem mutationem aut in solidis aut liquidis corporis partibus manifestarunt. Praeterea controversia est, quaecunque in cadaveribus mutata reperta sunt, num morbo sint mutata, an remediis heroicis in usum vocatis. Cadavera rabie defunctorum intra quindecim horas putrefieri (Sauvages, Morgagni) recentioribus observationibus refutatum est (Rust). Maxime utique ea, quae de sanguinis qualitate referuntur, inter se consentire videntur. Is enim fere semper dissolutus et tenuis et nigri coloris et parum coagulabilis repertus est; ex qua re fortasse rubor satiatus musculorum, ut Horn contendit, fortasse etiam magna ex parte maculae inflammatoriae tunicarum mucosarum et serosarum atque exsudationes deduci posse videntur, quoniam sic ob tenuitatem sanguis per vasa peripherica melius permeare eorumque parietes penetrare potest. Atqui, quod rarissime fieri consuevit, venae sanguine



spisso et picis liquidae consistentiam referente tumentes repertae sunt. Saepe sinus venosi durae matris cerebri sunt sanguine repleti, vasa meningum omnium cerebri crebriora sanguineque dilatata, venae jugulares et arteriae carotides coarctatae et sanguine tumentes. Omnia organa ruborem intensiorem praebent. Vulnera cadaveri illata quasi sanguine lavata videntur. Inter tunicas serosas cerebri et medullae spinalis haud raro magna copia aquae adfuit. Inflammationes oris, faucium, oesophagi, tracheae, ventriculi, tubi intestinalis, nonnunquam pustulis fuscis in linguae radice, vesiculis albido-flavis in oesophago et ventriculo et exulcerationibus tubi intestinalis intermixtae, creberrime inventae sunt, quae sine dubio sanguinis dissolutioni saepenumero originem debent. Tunicae mucosae modo sunt dilatatae modo contractae et per longitudinem plicatae; viscera modo contracta et indurata, ut renes et vesica urinaria, modo tumida et marcida; hoc posterius praecipue in jecinore et liene observatum est, quorum illud saepe caeruleum et gangraenosum, hic vesiculis variolosis, saltem in canibus (Lochner), obsitus inventus est. Organa pectoris saepe justo minora, sanguine carentia, solida, pallida et inter se connata fuere; cor sanguine suffusum, pericardium siccum et connatum cum corde; vasa sanguinis majora dilatata et sanguine oppleta. Corpora cavernosa penis subinde sunt inflammata. Cerebrum et medulla spi-



nalis et nervi, imprimis n. vagus, phrenicus et sympathicus modo duriores modo molliores, saepe rubre tincti et inflammati. In vulneris cicatricibus Rust sanguinis coagulationem et inflammationis vestigia vidit. Plurima horum saepe in multis, interdum in paucis organis apparuerunt. In pluribus cadaveribus hominum et vaccarum sectis nihil adeo occucurrit, quod fuerit contra naturalem cadaverum conditionem.

## 7. QUAE SIT MORBI NATURA.

Videmus igitur, propter varietatem atque inconstantiam et symptomatum et eorum, quae ex sectis cadaveribus percipiuntur, difficillimum esse, morbi naturam accuratius perspicere, etenim omnia haec in aliis quoque morbis observantur. Idcirco maxime variae, adeo contrariae sententiae, quae ab Harless l. c. recensentur, de hoc morbo propositae sunt. Proxime ad verum accedere videntur, qui eum interpretantur morbum nervosum specificae naturae cum sanguinis dissolutione conjunctum. Utrum autem malum primum sit, parum constat, quamvis sanguini prius contagium admisceatur. Nervum vagum, glossopharyngeum, accessorium et hypoglossum praeter ceteris affici patet. Num autem haec nervorum affectio consensualis ex vulnere orta, an metastasis sit neurilemitidis localis, hoc in medio relinquamus. Quod Marochetti protulit, plurimis probabile vide-



tur, contagium cum sanguine committi et sub lingua deponi, unde aliquo tempore interposito resorptum protinus ignota ratione rabiem caninam excitet.

## 8. QUIS SIT EXITUS MORBI.

Prognosis tantum non pessima est statuenda. Cum vulnus simplex est et vulnerato remediis aptis mature occurritur, prognosin minus periculosam statuere licet, quam cum his contrarium est: vulnera multiplicia, medicina sera aut inepta. Rabiei symptomatis jam praesentibus nihil fere sperandum est; vesiculis autem Marochettianis apparentibus aptaque medicina instituta non pessimus exitus expectatur.

## 9. QUAE SIT CURATIO INSTITUENDA.

Jam vero in eo sunt omnia, ut contagium in vulnere ipso exstinguatur ejusque communicatio per reliquum corpus praepediatur; nam curatio morbi manifesti raro continget. Omnis igitur medendi ratio et prophylaxin et curam rabiei praesentis amplectitur. Pars autem medico-forensis tanquam aliena praetermittatur.

### *A. Curatio prophylactica,*

quae et externa vel localis et interna esse debet.

#### a) Curatio prophylactica externa

id unum agit, ut contagium in loco affecto, ne



latius serpere possit, deleatur, quam ob rem plurimum salutis ab ea recte expectatur; sola curatio interna nihil prodest. Ad illam instituendam accurata et diligenti exploratione totius corporis opus est, ut ne vel minima quidem laesio a curando excludatur. Vestes contagio inquinatae sunt removendae. Dein vulnus, ut ex omnibus partibus oculis plane pateat, probe purgetur oportet, ad quem finem aqua calida aptissima et optima est. Vulnura profunda et angusta dilatanda sunt. Tum haec remedia in usum vocantur:

α) **Excisio vulneris**; nisi quid obstat, remedium princeps; illa autem tam larga sit necesse est, ut non solum omnes partes laesae, sed etiam ex toto integrae ad quadrantis vel dimidii pollicis crassitudinem recidantur, habita autem ratione, ne culter vulnus morsum contingat atque ita recens vulnus sectum contagio imbuat.

β) **Exustio**; tutissime fit ferro candente, minus tuto pulvere pyrico et aliis, quia sanguinem sistunt neque quoquoersus vim urentem extendunt.

γ) **Scarificatio**; in usum vocatur, cum propter partium structuram antecedentia administrari non possunt. Vulnus dilatandum simulque sanguis aqua tepida et cucurbitulis diu mittendus est.

δ) **Caustica**; kali causticum, argentum nitricum fusum, acidum sulphuricum, mercurius praecipitatus ruber, butyrum antimonii, pulvis cantharidum.



ε) Suppuratio ope unguenti cantharidum, unguenti hydrargyri rubri, solutionis mercurii sublimati continuanda per longum tempus et tum in fonticulum mutanda.

ζ) Amputatio commendatur, ubi propter structuram et laesionem complicatam partium prioribus uti non licet, praesertim cum primae digitorum phalanges aut in partibus carnosius multi et magni nervi vasaque sanguifera vulnerata sunt.

Omnia optimum primum est et apte cum uno alterove sequentium conjungitur. Exciso ergo vulnere multoque sanguine ope aquae calidae misso secturae novi vulneris ex causticis unum admovetur et crusta detrusa suppuratio larga et diutina materiis supra laudatis excitari debet, simul infricando locis vulneri vicinis unguento cinereo. Haec curatio repetenda est, simulac cicatrix mutationes sanis cicatricibus alienas subit. Quae dum geruntur, bis quotidie lingua inspicatur oportet, num vesiculae Marochettianae oriantur, et ubi ortae sunt, aperiantur et ferro candente deleantur necesse est; quo facto gargarisma ex decocto genistae luteae tinctoriae porrigitur. Haec de cura externa, quacum statim ab initio conjungenda est

b) curatio prophylactica interna,

quae corpus minus opportunum contagio reddere vult. Quamdiu autem natura rabiei incognita est,



tamdiu de rationali medela nullus sermo esse potest. Quo igitur modo remedia, quotquot eorum commendata sunt, morbum vel arceant vel sanent, pariter ignoratur. Accedit, ut multa remediorum, quae usurpari solent, in effectibus, alias saltem, sibi sint contraria; sunt quoque alia arcana. Utut id est, medicus his remediis tenetur. Praestantissima igitur sunt haec, in quibus quidem cavendum est, ne ullam secretionem naturalem impedian; quod cum nihilo minus fit, remedia apta sunt opponenda.

α. Genista lutea tinctoria, remedium in Russia vulgatissimum, cujus summitates et flores aut satis abunde ex aqua decocti pondo sesquilibram, aut pulverati pondo drachmas quatuor, quotidie per sex integras hebdomades dantur.

β. Herba et radix belladonnae pulveratae; quarum illa pondo grana tria, haec grana duo duodecima quavis hora datur, quae dosis grani dimidio quotidie augetur, donec leviores gradus intoxicationis (caligo oculorum, vertigo, fancium siccitas) insequuntur, interpositis dosibus senegae, camphorae, moschi, opii. Urinam et sudorem simul movere prodest. Per tres vel quatuor menses remedium adhibeatur oportet.

γ. Anagallis arvensis, quae in effectu belladonnae similis esse, sed mitior dicitur; dantur quotidie tres vel quatuor drachmae.

δ. Datura Stramonium recentiori tempore prae-



cipue ab Harless commendatur, ejusque vel folia vel extractum (pondo grana duo et ultra) scandenti dosi ad intoxicationem incipientem usque dantur.

ε. Cantharides larga dosi a Rustio datae sunt (grana nonaginta septem in tribus hebdomadibus) sine ullo detrimento. A grani quadrante incipitur et ad granum unum et ultra scanditur.

ζ. Meloë majalis et proscarabaeus eundem, sed mitiorem quam cantharides effectum habent, ergoque majori dosi sunt dandi (integrum animal contritum et cum nitro mixtum quovis die).

η. Hydrargyrum quondam admodum usitatum, sed in praesenti praecipue hydrargyrum muriaticum mite pondo grana duo vel quatuor quarta quavis vel sexta hora, infriktionibus simul ex unguento cinereo circa vulnus institutis, donec salivatio provocatur, quae modice continuanda est.

θ. Liquor ammonii caustici propter auctoritatem contra morsum viperinum contra rabiem quoque ad guttas decem bis terve per diem commendatus et adhibitus feliciter est.

ι. Potatio sanguinis calidi vel aliorum vel rabidorum ipsorum, quae morsus inflixerant, animalium, quamquam in Russia valde laudatur, ulterioribus observationibus adhuc examinanda est.

κ. Suffusiones aquae frigidae et submersiones sub eam saepe profuerunt.

Alia innumerabilia remedia contra rabiem com-



mendata in periculis instituendis omnino inutilia sese probarunt et merito oblivioni tradita sunt; quare propter rationem brevitatis praetermittenda existimo.

*B. Curatio rabiei manifestae.*

Quodsi hac curatione prophylactica aut ex toto aut ex parte neglecta aut, quamvis rite, sine felici tamen successu instituta rabies revera erumpit, exitus in mortem frequentior, rarior in sanationem est. Nihilo tamen minus medici est, omnia, quae experientia salutaria cognita sunt, experiri. Necesse igitur est vulnus vel cicatrix ea, quae supra comprehensa est, ratione tractetur; praecipue perpetua et larga suppuratio provocetur, quod maxime tum est necessarium, cum mutationes locales, quas rabiei eruptionem praeire consuesse supra diximus, in loco morso apparent. Res maximi momenti in hoc stadio fatali est apta aegri tractatio psychica, quam Rust primus quam maxime commendavit, quaeque antea tantopere degeneraverat. Itaque quoniam totum nervorum systema periphericum summa sensibilitate laborat, quibus id commoveri intelligitur, omnia sunt removenda: ut splendentes et injucundae res, molestae et supervacaneae frequentationes, perflatus aëris, strepitus, lux. Ministri sint comes et humani et mites. Animi demissio et aegritudo et anxietas et desperatio aegri, quantum et quacunque ratione fieri potest, sunt depellendae; animus ejus exhilarandus et confirmandus, atque fiducia medici ac medicamen-



torum imbuendus. Quum crises per cutem salutare esse possint, aegro persuadere convenit, ut maneat in lecto. Cibi leves esse debent, potus, cum bibere aeger poterit, aqua tepida et multa. Necessitas autem omnino nulla ei est imponenda.

Praeter eam localem et psychicam curationem haec interna laudata sunt remedia:

Belladonna, quae omnium maxime commendatur et larga dosi porrigitur: pondo drachmas tres intra viginti quatuor horas, donec unciae octo consumtae sunt; anagallis arvensis, decoctum foliorum taxi baccatae, acetum per os, si fieri potest, aut per anum ingerendum, sal volatile cornu cervi, moschus, opium acidum borussicum, cantharides interne et externe, meloë majalis et proscarabaeus, magnae doses hydrargyri, saccharum saturninum, oleum olivarum ad usum internum et externum, chlorinum, submersiones sub aquam, galvanismus, venaesectiones, infusiones aquae tepidae in venas.

---

De rabie canina optime scripserunt et in hac dissertatione elaboranda auxilio fuerunt:

Le Roux, observations sur la rage etc. Dijon 1781.

J. El. Rougemont, Abhandlungen von der Hundswuth a. d. Franz. von Wehler. Frankf. 1798.



**Mederer**, Syntagma de rabie canina a. d. Latein. Nürnberg 1809.

**Harless**, über die Behandlung der Hundswuth u. s. w. Frankfurt 1809.

**Rust**, über die durch den Biss eines tollen Hundes veranlasste Wasserschen u. s. w. in sein. Mag. 1816. Bd 1, Hft. I. pg. 97.

Derselbe, Abhandlungen. Bd. II.

**Hertwig**, über die Hundswuth, in Hufelands Journ. Supplemthft. 1828. Besonders abgedruckt u. d. Titel: Beiträge zur nähern Kenntniss der Hundswuth od. Tollheit der Hunde. Berlin 1829.

**Portal**, Bemerkungen über die Natur und Heilung der Wuth vom Bisse toller Thiere. a. d. Franz. Leipz. 1782.

**Fothergill**, Abhandlungen über die Natur der Krankheit, die durch den Biss eines tollen Hundes veranlasst wird; a. d. Engl. mit Vorrede von Werner. Wien 1810.

**Marochetti**, in d. vermischten Abhandlungen einer Gesellschaft pract. Aerzte zu St. Petersburg. 1821. Bd. I.





## V I T A.

---

Natus sum Joannes Franciscus Antonius Gerke in Guestphaliae loco, qui dicitur Bigge, a. d. VI. idus Januarias anni MDCCCXVI., parentibus Christ. Gerke et Maria Francisca e gente Koch, morte praematura jam dudum mihi ereptis. Fidem profiteor catholicam. Elementis litterarum domi instructus, progymnasium Briloniense per annos quinque et gymnasium Richlinghusianum, doctore Stieve tum directore clarum, per tres annos frequentavi, unde examine maturitatis superato anno tricesimo septimo hujus saec. universitatem litterariam Halensem adii et ab Ill. Gerlach, tum prorectore magnifico, in civium academicorum numerum receptus, per annum et dimidium his scholis interfui: logicis et psychologicis Ill. Gerlach, zoologicis Ill. Nitzsch et Cel. Burmeister, botanicis Ill. a Schlechtendal, anatomicis Ill. d'Alton et privatim docentis Moser, physicis Ill. Schweigger, mineralogicis Ill. Germar. Inde Berolinum profectus et ab Ill. Mueller, tum rectore magnifico, civibus academicis adscriptus nomenque apud decanum spect. Ill. Schultz professus, scholas frequentavi chemicas Ill. Mitscherlich, pharmacologicas et physiologicas Ill. Schultz, pathologicas et the-



rapeuticas Ill. Casper, clinicas Cel. Wolff, Beat. Osann, Ill. Schoenlein, Cel. Barez, Ill. Juengken, obstetricias Cel. Kluge et medico-historicas Ill. Hecker.

Intra quod tempus simul chirurgi militaris munere functus sum, et quum quadriennium praescriptum praeteriisset, denuo civis academicus fierem oportuit rectore magnifico Ill. ab Raumer et decano spect. Ill. Mueller. Nunc autem quum examina et philosophicum et medicum absoluta sint, in eo sum, ut dissertatione thesibusque defensis in gradum doctoris medicinae et chirurgiae promovear.

---



## T H E S E S.

---

1. Nullum rabiei caninae symptoma sibi constare.
  2. Famem fame interdum posse depelli.
  3. Coffeam esse potionem digestioni valde detrimen-  
tosam.
  4. Animalia insecta majorem organisationis gradum  
obtinere quam osteozoa frigida.
  5. Medicamina, quae nocere non possint, non posse  
prodesse.
-